INDEX
SCHOLARUM
PUBLICE ET PRIVATIM
IN ACADEMIA
GEORGIA AUGUSTA
PER SEMESTRE HIBERNUM

ANNI MDCCCXLIII — XLIV.

HABENDARUM

PER DIES A XXIII. USQUE AD XXVIII. OCTOBRIS
INCIPIENDARUM
PER DIES A XVIII. USQUE AD XXIII. MARTII
FINIENDARUM.



Praemissa est epicrisis quaestionis de Proëdris apud Athenienses.

GOTTINGAE
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA DIETERICHIANA.

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
FRID. BERGMANN D.
CUM SENATU.

Leges, plebiscita, testimonia, et quaecunque praeterea ab oratoribus Atticis ad causarum suarum fidem corroborandam scribis publicis recitanda dantur, non in ipsis commentariis perscripta neque auctorum manibus continuae orationi interposita, sed posterius demum ab eruditis lectoribus inserta esse, et natura rei suadet et compluribus argumentis dudum a doctissimis viris comprobatum est [1]). Quorum primarium hoc est, quod ab aliis orationibus, quarum in ceteris eadem condicio est, publicae fidei documenta illa prorsus absunt, loco tantum, ubi recitari debuerint, singulis verbis indicato, adeoque sunt, ut ipsa illa celeberrima Demosthenis pro Corona, ubi pars tantum integris literarum publicarum verbis distinguatur, cetera locos harum vacuos relinquant, ut clarissime appareat interpolatorem, sive taedio captum sive monumentis literarum deficientibus, ab incepto opere destitisse; alterum autem huic cognatum in eo cernitur, quod plerumque ea tantum interponuntur, quae docti interpretes aut aliunde nancisci aut ex ipsis orationis verbis colligere potuerunt, ea vero quae maxime nostra scire interesset, quia tacente oratore rescisci aliunde nequeunt, neque illi nobis tradiderunt, quo in genere imprimis nos advertunt *ὑπομνήματα τῶν Μειδίου ἀδικημάτων* in Demosthenis oratione adversus Midiam §. 130 titulo tantum tenus descripta, quae quum oratorem omnium maxime posteritati relinquere consentaneum fuisset, nunc, quia recitationi potius quam ipsius oratoris actioni destinata erant, eodem modo interciderunt, quo Verris crimina, quae Cicero in fine actionis primae ex tabulis publicis privatisque recitari jussit; postremo in ipsis quae exstant literarum publicarum monumentis apud oratores interdum ea legimus, quae homo antiquitatis Graecae vel mediocriter gnarus illa aetate aut omnino aut certe per has occasiones legi non potuisse intelligat. Neque tamen inde sequitur, ut quotquot in codicibus nostris auctoritates et testimonia interjecta deprehendamus, perinde subditicia censeamus eodemque numero cum aliis grammaticorum in libris veterum interpolationibus habeamus; immo ex ipsis quae protulimus argumentis patet, ut minimum tria horum monumentorum genera distinguenda esse, quorum et universa fides et ratio, qua cum oratorum verbis contineantur, adeo differat, ut sine summa temeritatis nota con-

---

1) Cf. F. A. Wolf. ad Demosth. Lept. p. 245; Boeckh. de Archontibus pseudeponymis in Comm. Acad. Berol. 1827, p. 151; P. van Lelyveld de infamia jure Attico, Amstel. 1835. 8, p. 230; Westermann. in Zeitschr. f. d. Alterth. 1837, p. 302; scitamque Sauppii observationem in Ritschelii Mus. Rhenan. T. II, p. 453, qui ex stichographia vetustissimorum codicum prodire monet, in eo linearum numero, qui de Demosthenis orationibus traditus sit, monumenta publica non comprehendi.

fundi non debeant. Et primum quidem negari nequit, ipsas quibus oratores usi sunt leges aliasque auctoritates publicas aut lapidibus incisas aut in tabulariis conditas aut in collectionibus quales mature factas esse novimus [2]) etiam posterius exstitisse, unde a doctis diasceuastis eodem modo peti potuerunt, quo olim ab ipsis oratoribus ex aerario publico petita sunt; quod si nemo unquam dubitavit, quin Antigonae Sophocleae versus aut Solonis elegia, quam Demosthenes in oratione *περὶ παραπρεσβείας* §. 247 et 255 eundem scribam recitare jubet, aut Tyrtaei carmen apud Lycurgum adversus Leocratem genuina sint, nec publica monumenta justae dubitationi obnoxia erunt, modo ei loco, cui adjecta sint, apte conveniant, nec quidquam contineant, quod moribus institutisque antiquis aut rerum gestarum memoriae contrarium, vel si inter ipsa oratoris verba legeretur, scrupulum moturum esset. Neque adeo si quid reliquo orationis argumento minus respondere videatur, modo ne internas fraudis notas gerat, illico pro spurio rejiciendum erit; quippe et antiquior lex esse poterat, quae quamvis aliis per temporis decursum mutatis tamen aliquo modo cum oratoris consilio conveniret, et illud ipsum inter horum hominum artificia fuisse consentaneum est, quod nunc quoque in doctorum libris hinc inde fieri videmus, ut auditorum animos testimoniorum multitudine obruere conarentur eumque in finem etiam ea recitari juberent, quae propius spectata ad eam causam, quae ageretur, neutiquam pertinerent; denique si vel maxime ab eo loco, cui adjectum legimus, alienum sit, id ipsum argumento erit, aliunde potius repetitum quam pro arbitrio ex oratoris verbis fictum esse; quo facto quamvis ad hujus sententiam illustrandam ineptum sit, per se tamen genuinae antiquitatis fide non carebit. Facile enim apparet, doctos editores, dum in fontibus suis eas auctoritates quaererent, quibus oratorem usum esse et scribae appellatio et tituli interjecti significarent, et aptas et ineptas invenire potuisse; quarum si priores inseruerunt, idem fecerunt, quod orator olim fecerat; sin vel posteriores elegerunt, hujus quidem orationem falsis documentis interpolarunt, nobis tamen fida antiquitatis monumenta tradiderunt, quibus in historia vel archaeologia tuto uti liceat. Tertium demum genus est, cui merito diffidamus, si quid auctoritatum homines interpolandi studio abrepti restituendaeque veteris actionis integritati ultra modum intenti ex ingenio finxerunt vel minus plena monumenta nacti ita supplerunt, ut vera falsis permixta penitus dignosci amplius non possint; quemadmodum nuper exstiterunt, qui omnia decreta, quae in priori orationis pro Corona parte leguntur, aut subditicia aut ita interpolata esse judicarent, ut nullus eorum usus sit [3]); neque ea cautio spernenda est, modo hoc temperamento utatur, ut nec praejudicata opinione propter unius testimonii pravitatem etiam reliqua in suspicionem vocet, nec de singulis aut negligentius

---

2) Notissima est Crateri Macedonis *ψηφισμάτων συναγωγή*, de qua cf. Meinek. Hist. crit. com. Graec. p. 56, Niebuhr. kl. Schriften p. 225, Krüger. histor. philol. Studien p. 118; aliorum nomina collegit Boeckh. Corp. Inscr. T. I, p. VIII. — 3) Cf. Spengel über die sogen. Pseudeponymi in Demosthenes Rede für den Ktesiphon, in Niebuhrii Mus. Rhenan. T. II, p. 367 sqq.; Brückneri König Philipp, Gott. 1837. 8, p. 364 sqq.; Frankium in Jahnii N. Jbb. T. XXII, p. 373; inque primis Droysenium in Zeitschr. f. d. Alterth. 1839, p. 537 sqq.; quem etsi acerrime impugnat Voemelius in progr. Francofurt. a. 1841 sqq., de universa tamen quaestione prorsus nobiscum sentit.

aut severius existimet, quam criticae artis leges literas antiqua fide et memoria proditas omnino existimari velint. Sed haec longius persequi in tanta quaestionis prolixitate nunc non vacat; quam ut omnino attingeremus, Vestra tantum causa factum est, Commilitones ornatissimi, quibus quum inter plurimas alias lectiones Demosthenis quoque orationem Midianam interpretandam proposuerimus, cavendum videbatur ne cancelli illi fraudem facerent, quibus novissimi editores Turicenses [4]), viri acutissimi, omnes leges, quae in illa oratione exstant, incluserunt, hac tantum ratione reddita, ut sibi omnes partim fictas partim certe non a Demosthene additas videri pronunciarent. Id vero in universum ita tantum probari posse intelligitis, ut eas ex autographo oratoris in codices transiisse negemus; fictas tamen aut alienas ab hac orationes, postremo non eas esse, quas ipse orator recitationi destinaverit, singulis demum examinatis nec sine idonea argumentatione cuiquam affirmanti credetis, quae nisi melior exstiterit, quam qua illi legis de arbitris §. 94 servatae fidem impugnarunt, nae magnopere veremur, ut cancellorum istorum temeritati justa ratio constet. Nam quum omnis illius loci impugnatio eo redeat, ut lex ad arbitros privatos pertineat, Stratonem autem, de quo Demosthenes agit, arbitrum publicum fuisse totius rei enarratio luculenter commonstrare videatur, facilis responsio est, publicos arbitros non promiscue omnibus civibus, sed singulis tribubus, unde ipsi capti erant, jus dixisse; quod clarissime prodit ex Demosth. orat. adv. Everg. et Mnesib. §. 12: *οἱ γὰρ τὴν Οἰνηΐδα καὶ τὴν Ἐρεχθηΐδα διαιτῶντες ἐνταῦθα κάθηνται*: quod si Demosthenis tribum Pandionidem, Midiae Erechtheidem fuisse ex §. 68 constat, Stratonem autem arbitrum §. 83 legimus Phalerensem fuisse, qui Aeantidis tribus pagus erat, certo certius est hunc de illorum lite publica auctoritate judicare non potuisse, sed ex ipsa lege, quae §. 94 exstat, compromisso lectum fuisse. Quanquam haec, si singulatim spectantur, etiam longiore enarratione indigere non negamus; haec tamen quum jam a. 1833 in prooemio lectionum Marburgensium hibernarum [5]) ita data sit, ut nec ipsi quod addamus amplius habeamus, et Voemelius, intelligentissimus rerum Demosthenicarum arbiter, in ea acquiesci posse censuerit [6]), de hoc quidem loco illuc Vos remittere satagimus, nostramque operam nunc ad eam potius legem illustrandam conferemus, quae omnium prima ibidem §. 8 legitur; quae licet a cancellis Turicensibus etiam minore negotio defendi possit, hac ipsa defensione in alias nos difficultates conjiciet, quibus recte expediendis si hujus praefationis angustiae suffecerint, non inepte novi semestris auspiciis prolusum arbitrabimur.

Nimirum, ut de auctoritate legis primum loquamur, eandem hanc esse, quam orator recitari apud judices voluerit, statim sequentia docent, ubi Demosthenes pressa circumlocutione fere eadem tanquam modo audita suggerit, quae ipsum legis argumentum continet; neve quis hoc, ut passim factum esse constat, ex sequenti oratione repetitum demum et ad speciem verae legis fictum potius quam publici monumenti fide relatum esse arguat, verborum

---

4) J. G. Baiterus et Herm. Sauppius in Oratoribus Atticis, Turici 1838 sqq. 4. — 5) Recuso in Seebod. et Jahn. Archiv für Philologie T. IV, p. 331 sqq. — 6) Zeitschr. f. d. Alterth. 1842, p. 1231.

discrimen obstat, quod adeo doctum et subtile est, ut a mala interpolatoris sedulitate vix ac ne vix quidem repeti possit. Sic quae apud oratorem dicuntur *περὶ ὧν διῴκηκεν ὁ ἄρχων*, in lege simpliciter sunt *περὶ ἱερῶν*, quia ipsa sacra, quae in magnis Liberalibus fiebant, archon curabat; deinde quae Demosthenes pro auditorum suorum captu circumscribit: *χρηματίζειν περὶ ὧν ἄν τις ἠδικηκὼς ᾖ περὶ τὴν ἑορτὴν ἢ παρανενομηκὼς*, lex ipso vocabulo legitimo declarat: *ἔπειτα τὰς προβολὰς παραδιδότωσαν τὰς γεγενημένας ἕνεκα τῆς πομπῆς ἢ τῶν ἀγώνων ἐν τοῖς Διονυσίοις*, ut sententia eadem sit, verba autem propria et ab omni pravae imitationis specie longissime remota; postremo si et haec et quae in fine legis posita: *ὅσαι ἂν μὴ ἐκτετισμέναι ὦσι*, ne sententiae quidem oratoris ulli respondent, grammatici ingenio aut doctrinae deberi posse videantur, ea certe permutatio, qua idem negotium, quod apud oratorem Proëdris tribuitur, lex Prytanibus potius injungit, talem originem vel ideo respuit, quod facile demonstrari potest, illa aetate, qua haec interpolata esse consentaneum sit, utrumque hominum genus a grammaticis ita distinctum esse, ut alterum alteri substitui prorsus ineptum et incredibile fuerit. Apparet hoc imprimis ex iis lexicographorum et scholiastarum locis, ubi duos Epistatas distinguunt, quorum *εἷς μὲν*, inquiunt, *ἐκ τῶν πρυτάνεων ἐκληροῦτο, ἕτερος δὲ ἐκ τῶν προέδρων*: utque omnia haec testimonia, quae aut verbis aut sententia prorsus eadem apud Harpocrationem [7]), Pollucem [8]), Anonymum Bekkeri [9]), Eustathium [10]), Suidam [11]), alios [12]) exstant, ad unum fontem redeant, hunc ipsum satis probabiliter Aristotelem habebimus, cujus commentarios de re publica Atheniensium plerique illorum aut alibi sequi solent aut in hac ipsa causa claris verbis adhibent [13]); sive nonnulli horum aetate minores sunt, quam ut inde quidquam de veterum grammaticorum sententia colligi posse videatur, his ipsis antiquiores auctores fuisse insigne Eustathii exemplum docet, qui quidquid de his rebus narrat, ad Telephum Pergamenum, secundi post Chr. n. saeculi rhetorem, refert [14]). Neque illud ignorant, quomodo Proëdri a Prytanibus diversi fuerint; quos quum quinquagenos fuisse constet, qui Senatu Attico una cum ipso anno pro tribuum numero in decem partes diviso per vices rem publicam administrarunt, horum principem sive Epistatam docent, quoties Senatus aut populus cogeretur, ex reliquis novem tribubus praeter eam, cujus tum maxime Prytania esset, singulos Proëdros sive praesides concionis sorte duxisse eorumque unum rursus Epistatam constituisse, qui ad populum referret civesque in suffragia mitteret; neque hujus doctrinae minorem auctoritatem esse, idem scriptorum consensus docet, qui quamvis verbis discrepent, hac ipsa discrepantia ad antiquioris fontis communionem nos remit-

---

7) Lex. rhetor. p. 83 Bekk. — 8) Onom. VIII. 96. — 9) Anecdd. p. 244. — 10) Odyss. XVII. 455, p. 641 ed. Rom. — 11) T. I, P. 2, p. 458 ed. Bernh. — 12) Schol. Bavar. ad Demosth. adv. Androt. p. 594 ed. Reisk., qui ita tantum a Suida differt, ut pro *τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον* habeat *τ. β. καὶ τὸν δ.* — 13) Pollucis librum octavum fere totum ex Aristotelis rebus publicis haustum esse Jungermannus et Hemsterhusius identidem monuerunt; add. Grashof. in Jahnii Jahrbb. f. Philol. 1829; T. X, p. 138 sq. — 14) Telephum Harpocrationis aequalem L. Veri imperatoris magistrum fuisse discimus ex Julii Capit. V. Veri c. 2; plura de eo v. apud Fabric. Bibl. gr. T. VII, p. 71 et Spengel. Art. Scr. p. 9 et 211.

tunt. Nam quum Telephus, Pollux, Suidas s. v. ἐπιστάτης ab Epistata proficiscantur, quem ajunt, ὅταν οἱ πρυτάνεις τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον συνάγωσιν, ἐξ ἑκάστης φυλῆς πρόεδρον ἕνα κληροῦν πλὴν τῆς πρυτανευούσης, καὶ πάλιν ἐκ τῶν ἐννέα τούτων ἐπιστάτην ἕνα, Harpocratio p. 157, quem Suidas s. v. πρόεδροι, Photius p. 452, Schol. Bavar. Demosth. Timocr. p. 749 sequuntur, ab ipsis Proëdris exorsus: ἐκληροῦντο, inquit, εἷς ἐξ ἑκάστης φυλῆς πλὴν τῆς πρυτανευούσης, οἵτινες τὰ περὶ τὰς ἐκκλησίας διῴκουν· ἐκαλοῦντο δὲ πρόεδροι, ἐπειδήπερ προήδρευον τῶν ἄλλων ἁπάντων: nec nisi verborum ordine mutato Anonymus Bekkeri p. 290, quem ex Pausaniae vel Aelii Dionysii lexico hausisse inde colligas, quod Photius, qui hos maxime auctores sequitur [15]), eandem glossam cum Harpocrationea conjunxit: οἱ περὶ τὰς ἐκκλησίας Ἀθήνησι διοικοῦντες πρόεδροι ἐκαλοῦντο, κληρούμενοι μὲν ὑπὸ τῶν πρυτάνεων καθ᾽ ἑκάστην ἐκκλησίαν ἐξ ἑκάστης φυλῆς, ὠνομάσθησαν δ᾽ οὕτω ἀπὸ τοῦ προεδρίαν ἔχειν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις: res plane eodem redit, utque his, qui a Prytanibus sorte ductos ajunt, alius auctor fuerit atque Aristoteles, quem Harpocratio ait dixisse, ὅτι ὁ καλούμενος ἐπιστάτης κληροῖ αὐτούς, is ipse tamen Prytanum Epistata fuit, ut vel sic locupletissimum testem toti narrationi de Proëdris a Prytanibus diversis accedere videatis [16]). Atqui idem prorsus negotium esse intelligitis, quod nunc Demosthenes Proëdris suis tribuit: ἐπειδὰν χρηματίσωσιν οἱ πρόεδροι περὶ ὧν διῴκηκεν ὁ ἄρχων, χρηματίζειν κελεύει καὶ περὶ ὧν ἄν τις ἠδικηκὼς ᾖ περὶ τὴν ἑορτήν: quod nisi duo Proëdrorum genera posueritis, quorum alterum idem cum Prytanibus, alterum diversum ab his fuerit, legem, qua idem Prytanes facere jubentur, cum oratoris verbis ita tantum conciliabitis, ut concionum regendarum formam inter tempora legis latae et orationis habitae mutatam esse statuatis; idque ipsum discrimen est, quod subtilius videri diximus, quam quod ab interpolatore quamvis docto prodire potuerit. Peloponnesii enim belli aetate, quo tempore hanc legem dudum exstitisse ipsa Liberalium ludorum sanctitas suadet, concionum regimen, quod verbis χρηματίζειν et ἐπιψηφίζειν comprehenditur [17]), re vera penes Prytanes eorumque principem fuisse, clarissimis Thucydidis [18]), Antiphontis [19]), Platonis [20]) testimoniis constat; mutationis autem, qua id munus ad Proëdros transierit, neque apud scholiastam ullum neque apud alium Atticae antiquitatis scriptorem mentio exstat, unde veteres doctores eam aut novisse aut curasse appareat; per igitur mirum fuisset, si unus aliquis grammaticus in hac lege, si diis placet, fingenda, quam ne necessarium quidem erat ad priora Demosthene tempora referri, in ejus discriminis memoriam rediisset, Proëdrisque omissis antiquitatis speciem affectasset, quam plerique lectores ne intellecturi quidem erant; multoque, opinor, et simplicius et cautius erit, ipsum Pryta-

---

15) Cf. Meinek. ad Menand. p. 278; Ritschel. de Oro et Orione, Vratisl. 1834, 8. p. 34. — 16) Telephum ipsum Aristotele duce usum esse probabiliter cum Schömanno censet Neumann. ad Aristot. Rerumpubl. reliqu. p. 75. — 17) Lehrb. d. griech. Staatsalterth. §. 129, n. 2 et 17. — 18) Thuc. VI. 14. — 19) De choreuta §. 45: πρυτανεύσας τὴν πρώτην πρυτανείαν ἅπασαν . . . καὶ ἐπιψηφίζων καὶ λέγων γνώμας περὶ τῶν μεγίστων καὶ πλείστου ἀξίων τῇ πόλει. — 20) Gorg. p. 473 E: πέρυσι βουλεύειν λαχών, ἐπειδὴ ἡ φυλὴ ἐπρυτάνευε καὶ ἔδει με ἐπιψηφίζειν κ. τ. λ. Idem prodit ex Apol. Socr. p. 32 A et Xenoph. Hellen. I. 7. 15 coll. Mem. Socr. I. 1. 18 et IV. 4. 2.

num nomen pro indicio accepisse, quo genuinam legis antiquitatem agnoscamus et confirmemus.

Hic autem ingruit illa difficultas, cujus explicationem huic praefationi maxime proposuimus; quae etsi non tanta sit, ut fidem legis, quam tuemur, rursus in discrimen vocet, tamen multo latius patet ipsamque comitiorum Atticorum formam tam prope attingit, ut nemo, qui antiquitates Graecas paulo diligentius cognoscere velit, ea examinanda supersedere possit; quique adhuc contra novissimos tantum Demosthenis editores disputare videbamur, jam in eam controversiam delati sumus, quae per tria fere saecula gravissimos hujus disciplinae arbitros variis modis exercuit diversosque egit. Neque enim desunt, qui re vera alterum Proëdrorum genus fuisse statuant, quod cum ipsis Prytanibus confundi potuerit; quos ut decimam Senatus partem fuisse diximus, ita illos quinquaginta nova distributione quinquepertita ita discessisse volunt, ut singulis hebdomadibus deni et ipsi Proëdri appellati praeessent, quo facto quamvis non omnes Prytanes simul etiam Proëdros, hos tamen eosdem Prytanes dici potuisse patet, ejusque rei testimonium et in ipso Demosthenis loco quaerunt, et apud scholiastas nonnullos inveniunt, qui claris verbis eam Senatus divisionem proponunt, ut quum quinquageni nimii ad rem publicam administrandam viderentur, rursus per decurias distributi sint, quarum singulae septenos Epistatas pro totidem diebus exhibuerint [21]. Immo ut verum fateamur, solus Carolus Sigonius [22], antiquariae doctrinae conditor ille atque stator, spreta futilium hominum auctoritate Harpocrationem sequi maluit, quem unum tantum idque diversum a Prytanibus Proëdrorum genus nosse vidimus; ceteri quotquot antiquitatibus Atticis aut chronologiae antiquae operam dederunt, a Petavio inde [23] magnopere sibi sapere visi sunt,

---

21) Cf. imprimis Argum. II Demosth. adv. Androt. §. 12: *ἀλλ᾽ ἐπειδὴ πάλιν οἱ πεντήκοντα πολλοὶ ἦσαν εἰς τὸ ἄρχειν ἅμα, οἱ δέκα κατὰ κλῆρον μιᾶς ἡμέρας τῶν ἑπτὰ, ὁμοίως δὲ ἕκαστος τῶν ἄλλων ἀπὸ κλήρου ἦρχε τὴν ἑαυτοῦ ἡμέραν, ἄχρις οὗ πληρωθῶσιν αἱ ἑπτὰ ἡμέραι, καὶ συνέβαινε τοῖς ἄρχουσι τρεῖς μὴ ἄρχειν, ἕκαστος δὲ ἄρχων μιᾷ ἡμέρᾳ ἐκαλεῖτο ἐπιστάτης . . . ἰστέον δὲ, ὅτι οἱ μὲν πεντήκοντα ἐκαλοῦντο πρυτάνεις, οἱ δὲ δέκα πρόεδροι, ὁ δὲ εἷς ἐπιστάτης*: praetereaque Schol. Aeschin. Ctesiph. p. 765 ed. Reisk. De lectionis integritate apud Schol. Demosth. non est quod dubites, aliter tamen interpretanda erit, ac fecit Funkhaenelius in edit. Lips. 1832, p. 37. Is enim genitivum *μιᾶς ἡμέρας*, pro quo Schaeferus e Cod. Bodl. reponebat *μίαν ἡμέραν*, ita defendit, ut *genitivus, ubi de tempore dicatur, significet tempus, intra quod aliquid fiat, accusativus tempus, per quod aliquid duret*, unde *etiam rectius genitivum positum esse* arbitratur; *nam illos Proëdros ea tantum diei parte regnasse, ubi officio fungebantur,* quod in Proëdros non-contribules tantum cadit, de quibus scholiasta non agit; contribules, qui singulis diebus rem publicam regerent, id est Prytanum Epistatas, integrum viginti quatuor horarum diem tenuisse claris verbis docet Telephus apud Eustathium: *ὃς ἐπιστατεῖ νύκτα καὶ ἡμέραν μίαν.* Vide igitur, ne haec potius constructio sit, ut genitivus pendeat a *κλῆρον*, et ad *οἱ δέκα* ex sequentibus repetamus *ἦρχον τῶν ἄλλων*: *quum quinquagenorum numerus nimius esset ad imperium simul gerendum, deni ceteris imperabant secundum sortem, qua singulis singuli ex septem diebus obveniebant, eorum autem unusquisque ceteris imperabat secundum sortem suo die, donec septem dies complerentur, quo factum est ut tres ex iis, qui imperium tenebant, non imperarent.* — 22) Republ. Ath. II. 3 et 4. — 23) Doctr. temporum II. 1, p. 91: *sed non sunt contrariae, imo ambae verae sunt, et τῶν προέδρων duo scilicet erant genera. Alii enim ordinarii erant et toto πρυτανείας tempore praeerant, qui et ineunte Prytania sortiebantur, ex eadem omnes tribu . . . Alterum Proëdrorum genus fuit eorum, qui ad tempus sortito ducebantur, quotiescunque Senatus aut populus*

si duo testimoniorum genera, quae summus ille vir inter se pugnare censuisset, conciliassent suamque utrique fidem vindicassent, itaque factum est, ut ad nostram usque aetatem, licet tot testes recens reperti unam tantum Proëdrorum significationem Harpocrationeam norint, omnes libri Proëdros contribules, quos vocant, hoc est denos ex una φυλῇ πρυτανευούσῃ captos, a non-contribulibus novem, quales supra descripsimus, distinguant, quamquam de utrorumque aetate et muneribus et ipsi in diversissimas partes abeunt. Dodwellum quidem, cujus ea temeritas fuit, ut Epistatam quoque Proëdrorum, qui claris verbis traditur a Prytanibus eorumve Epistata ex novem non-contribulibus sorte ductus esse, inter contribules referret [24]), quoniam a Corsinio jam abunde refutatus est, mittere nunc praestat; qui quum ipse professus sit, ***horum προέδρων contribulium nullum deinde usum fuisse, quum ex illis sortito delecti fuissent singularum Prytaniarum pro anno universo ἐπιστάται***, satis, opinor, ostendit, se tantae quaestioni solvendae omnino parem non esse; sed nec Corsinii sententia [25]), cui ut Petitus viam muniverat [26]), ita deinceps Biagius cumulum adjecit [27]), Luzacii reprobationem [28]) evitare potuit, neque aut Luzacius Schömanno [29]), aut Schömannus Boeckhio [30]) ita satisfecit, ut in unius horum auctoritate acquiesci possit. Nam quum hoc saltem certum et exploratum sit, apud veteres auctores nusquam duo Proëdrorum genera discerni, sed ubicunque id nomen exstet, simpliciter et sine ulla cognominis muneris suspicione poni, facile videtis iis, qui contribules a non-contribulibus distinguant, in singulis exemplis quaerendum esse, utrum genus dicatur; in ea vero quaestione etiam Corsinius eo demum pervenit, ut totum concionum regimen ad non-contribules referret neque contribulibus quidquam relinqueret, nisi ut ex ipsis Epistata quotidianus caperetur, cui quod ille Senatus saltem regimen servaverat, mox Biagius ex veteris decreti fide [31]) et ipsum ad non-contribulium Epistatam transtulit; Luzacius contra, ab iis temporibus profectus, quibus Prytanes eorumque principem Epistatam et Senatum et populum rexisse superius monuimus, idem negotium omnino Proëdris contribulibus vindicavit, non-contribulium autem, quorum ***vix ullam nisi apud grammaticos mentionem reperiri*** insimulat, quae partes fuerint, ignorare se fassus postremo ad eam opinionem descendit, ut eos iis concionibus praefuisse suspicaretur, in quibus ***nullae Senatus partes, nulla auctoritas esset***, populusve ***a Prytanibus et Senatu dissideret***, quasi non ipsos Senatores e quingentorum numero fuisse claris testimoniis constaret [32]); Schömannus denique, quamvis accurato judicio antecedentium

---

a Prytanibus cogeretur . . . Apparet utriusque generis discrimen: nam πρόεδροι primi decem ad hoc creabantur, ut per vices ac suo quisque die Epistatae fierent, posteriores, qui identidem novi sortiebantur, ut concioni praeessent etc. Cf. et Krebs. ad decr. Athen. pro Hyrcano, post Decreta Rom. pro Judaeis, Lips. 1768. 8, p. 380 sqq. — 24) De veteribus Graecorum Romanorumque cyclis, Oxon. 1701. 4, p. 195 sqq. Quo de libro ex Niebuhrii sententia jam judicavimus in Prooem. aest. n. 74. — 25) Fasti Attici, Flor. 1744. 4, T. I, p. 265 sqq. — 26) Leges Atticae, ed. P. Wesselingius, Lugd. B. 1742, fol. p. 268 sqq. — 27) De decretis Atheniensium, Rom. 1785. 4, p. 166 sqq. — 28) Orat. de Socrate cive, Lugd. B. 1796. 4, p. 92 sqq. — 29) De comitiis Atheniensium, Gryphisw. 1819. 8, p. 83 sqq. — 30) Corp. Inscr. T. I, p. 130; cui deinde etiam Schömannus obtemperavit in Antiqu. jur. publ. Graec. p. 222. — 31) L. c. p. 172; decretum ipsum jam exstat etiam in Corp. Inscr. n. 124. — 32) Göttlingius quidem in Annalibus qui inscribun-

errores evitaverit temporibusque distinguendis primus rectam quaestionis solvendae viam ingressus sit, tamen nec tempora recte constituit neque idoneam rationem invenit, qua utrorumque Proëdrorum munera inter se conciliarentur. Ac de temporibus facilis demonstratio est et Corsinium et Luzacium errasse, dum belli Peloponnesii aetatem cum Macedonica confunderent, quarum priorem aeque certum est Prytanes praesides habuisse, ac posterioris conciones a Proëdris non-contribulibus rectas esse plurimarum inscriptionum testimoniis constat; nam quod Luzacius his ita fidem derogat, ut neget ex pago praesidis de ejus tribu conclusionem fieri debere, pro exploso et profligato habendum est [33]); at si vel maxime antiquioribus comitiis Prytanes contribules praefuerunt, illud semper quaerendum restat, num hi rursus per Proëdrorum decurias divisi fuerint, utque tum fuerint, de posteriori aetate iterum quaeremus, et quo tempore contribulium munera ad non-contribules transierint et num verisimile sit utrosque aliquo tempore simul qualiacunque munera administrasse. Schömanni enim sententia, velut custodes aliquos non-contribules contribulibus adjectos esse, *qui adessent Prytanibus et si quid ab iis fieri viderent, quod bono publico legibusve contrarium esset, intercederent atque vetarent, sin quid ipsis probaretur, consentirent eumque consensum tribuum suarum nomine testarentur*, denique *sine quorum consensu de nulla re suffragium dari potuerit* [34]), vel propter eam causam sola conjectura nititur, quia, ut identidem diximus, nec scriptor ullus nec monumentum duo Proëdrorum genera simul memorat, neque adeo grammatici, qui alterius meminerunt, discriminis eorum notitiam quamvis exiguam habuisse videntur, nedum quidquam decreti aut Senatus aut populi Attici ad nos pervenerit, in quo talis Proëdrorum consensus vel minimum vestigium exstet, qualis v. c. Senatus Romani consultis litera T subscribi solebat ad declarandum, *illa tribunos quoque censuisse* [35]); de aetate autem mutationis, quam prius ad duodecim tribuum institutionem Ol. CXVIII factam relegaverat, ipse nunc cum Boeckhio intellexit, jam Ol. CXVI adeoque CXII clara testimonia haberi, quibus Proëdros non-contribules suffragia dedisse constet; postremo formula praescriptionis decretorum, ubi pro eo, quod sub Prytanum regimine legebatur: *ὁ δεῖνα ἐπεστάτει*, Proëdrorum nomen successit: *τῶν προέδρων ἐπεψήφισεν ὁ δεῖνα*, jam in inscriptione Ol. CII. 4 apparet [36]), unde fit, ut ii, qui etiam Demosthenis aetate Proëdros contribules ex Prytanum numero captos esse statuunt, eadem formula duo deinceps hominum genera prorsus diversa intelligere cogantur. Hae igitur sunt difficultates, quas nobis quoque expediendas esse intelligitis, priusquam de Midianae nostrae Proëdris et ratione inter legis oratorisque verba intercedente certum judicium facere audeamus; quarum quum ea commodissima solutio futura sit,

---

tur Hermes T. XXIII, p. 113 Proëdros non-contribules ex universo populo captos esse censet; sed ut mittamus Aesch. adv. Ctesiph. §. 73, ubi de his agi posterius demum apparebit, in ipso Biagii decreto eosdem manifesto Senatores habemus. — 33) Cf. Schömann. de Comit. p. 95 et Lehrbuch cit. §. 111, not. 14. — 34) Verba sunt Schömanni Antiqu. jur. publ. p. 217. — 35) Valer. Maxim. II. 2. 7. — 36) In addendis Corp. Inscr. T. I, p. 899: *Λυσιστράτου ἄρχοντος ἐπὶ τῆς Ἐρεχθηΐδος δεκάτης πρυτανείας, ῆ . . . . Ἀζηνιεὺς ἐγραμμάτευε, τῶν προέδρων ἐπεψήφιζε Εὐάγγελος* . . . . quam neglexit Schömannus Antiqu. p. 225 sq.; cf. Franz. Elem. epigr. gr. p. 320.

ubi Sigonium secuti totam illam Proëdrorum contribulium nationem exstirpare atque eliminare potuerimus, primum testimonia, unde horum notitiam viri docti petierunt, in examen vocabimus; deinde vero etiam si vel maxime restent, quorum fidem funditus elevare non contigerit, eam saltem sententiam amplectemur, quae monumentorum auctoritatem cum simplicitate ac rerum omnium convenientia maxime conjungat.

Testimoniorum, quae diximus, duo maxime genera sunt, quorum alterum in scholiastarum narrationibus, alterum in aequalium scriptorum comparatione cernitur; tertium, inscriptiones dicimus, quae cum aequalium monumentorum fide simul minorem corruptelae suspicionem conjungunt, adhuc Proëdros non-contribules tantum exhibuit, contribulium exempla certa et manifesta ne in iis quidem occurrunt, quae ante tempus a Schömanno et Boeckhio definitum scriptae sunt. Sed nec scholiastarum, qui omnium planissime hos exstitisse docent, propius scrutantes eam eruditionem aut constantiam esse invenietis, ut sine aequalium testium accessione auctoritatem habere possint. Mittimus numerum testium, qui multo minor est quam eorum, qui quum Proëdros contribules discernere deberent, prorsus tacuerunt; mittimus infimam hominum aetatem, qui nec ipsi quartum p. Chr. n. saeculum antecedunt [37]) nec quemquam auctorem nominant, qui ad antiquiora tempora referri possit; — quamquam etiam hoc aliquid est, per tot saecula ne vestigium quidem exstare, unde alicui doctorum quidquam de duplici Proëdria notum fuisse appareat; — at ut vel antiquiorem auctorem habuerint, nec hunc genuinam antiquitatis memoriam potius quam spuriam ratiocinationem secutum esse magnam veri speciem habet. Nam quum duas maxime res esse constet, quae auctoris alicujus fidem infringant, si aut ipse sibi contradicat aut alia simul tradat, quae errori deberi certum sit, omnes, quibus viri docti Proëdros contribules fuisse crediderunt, alterutri harum culparum obnoxios invenietis, eademque opera haud difficulter originem erroris intelligetis, quo ab ipsa Proëdrorum non-contribulium mentione semidoctus grammaticus paulatim ad contribulium figmentum seduci potuit. Atque ei quidem, qui omnium princeps causa hujus opinionis exstitit, sive is Libanius fuit sive quisquis argumentum orationis Demosthenicae adversus Androtionem scripsit, mirum quomodo fides haberi potuerit de decuriis Proëdrorum, postquam ea quae paulo ante de *ἀρχαιρεσίαις* Atheniensium scribit, plane inania ac commenticia esse apparuit! Scilicet quia vulgarem anni lunaris ambitum, quo CCCLIV dies comprehendit, cum decem Prytaniis non ita conciliari posse vidit, ut parem omnes dierum numerum acciperent, postremos quatuor dies, quibus novi magistratus crearentur, *ἀνάρχους* fuisse, hoc est omni reipublicae regimine caruisse scripsit, quod et ipsa rei natura et claris meliorum auctorum testimoniis refutatum doctissimi antiquarii dudum exploserunt [38]); at nonne eodem jure Proëdri contribules in inepti hominis cere-

37) Si Libanius argumentum orationis adv. Androt. scripsit, hujus aetas satis constat; sed nec si idem fuerit qui reliqua scholia congessit, haec ipsa ante quartum saeculum poni posse dudum animadvertit Chapmanus Obss. in comm. vulgo Ulpianeos ante Demosth. orat. ed. Mounteney, Lond. 1778; cf. Kiessling. in Allg. Lit. Zeit. 1832, E. B. n. 46, p. 366 et de universa horum scholiorum origine et ingenio Heysius in Voemelii Notitia codd. Demosth. spec. VI, Francof. 1838. 4. — 38) Boeckh. Staatshaush. d. Ath. T. II, p. 176: *bekanntlich*

bello nasci potuerunt? Idem paulo ante de Areopago: ὡς γάρ τινες τῶν ῥητόρων λέγουσι, κατ᾽ ἔτος οἱ ἐννέα ἄρχοντες αὐτῇ προςετίθεντο, ὡς δέ τινες, ὅτι οἱ ἓξ μόνον θεσμοθέται, unde luculenter prodit illum ejusve auctorem quidquid de institutis Atheniensium nosset, non ut lexicographos, quos de Proëdris non-contribulibus testes adhibuimus, e rerum scriptoribus didicisse, sed ex oratorum verbis collegisse [39]), quibus intelligendis quam parum idoneus fuerit, ipsa Thesmothetarum pro universis Archontibus positorum ignoratio planissime docet. Neque ea re melior ejus causa redditur, quod Aeschinis scholiasta ad Ctesiphonteam easdem fere Proëdrorum decurias describit: εἶχε δὲ ἑκάστη φυλὴ πρυτάνεις πεντήκοντα, οἱ τὰ ὅλα διῴκουν ἡμέρας τριάκοντα πέντε, οὗτοι δὲ διῃροῦντο εἰς δεκαδαρχίας πέντε τῶν προέδρων λεγομένων, οἳ ἡμέρας ἑπτὰ διῴκουν τὰ πολιτικὰ καὶ προήδρευον κατὰ μέρος καὶ οὕτω τρεῖς ἦσαν τῆς διοικήσεως ἄμοιροι· ὁ δὲ μίαν ἡμέραν τὰ ὅλα διοικῶν ἄρχων ἐφήμερος καὶ ἐπιστάτης ἐκαλεῖτο, quem ut ex eodem cum illo fonte hausisse credibile est, ita rei quam describit neutiquam gnarum fuisse quum aliis locis [40]) tum ipso nostro satis intelligitur. Sic quod denos illos rursus per vices προεδρεῦσαι ait, contra omnem antiquitatis Atticae usum dictum est, quae Epistatam sive πρύτανιν sive πρόεδρον ita tantum singulatim appellat, ut unum ex pluribus esse appareat, falsoque intellexit oratoris verba §. 75: τίς ὁ ταῦτα ἐπιψηφίσας πρόεδρος; quorum hic sensus est: *quis ex proëdris suffragia de his rebus dedit?* non quo is suo die omnia Proëdrorum munera in se conjunxerit, quam scholiastae sententiam esse et inde sequitur, quod ternos, qui ad ἐπιστασίαν non pervenirent, administratione caruisse ait, et ex particula καὶ, qua quotidianum magistratum *etiam* Epistatam dictum esse significat. Omnium autem maxima hominis confusio et ignorantia apparet, si eam scholii partem, quam modo adscripsimus, cum initio comparamus, quod manifesto ad eos Proëdros spectat, quos Harpocratio memorat, eaque re simul confirmat, quod supra contendimus, nulli scriptori antiquo, sive is contribules sive non-contribules Proëdros intelligeret, duorum generum discrimen notum esse, unde facilis conjectura est, non parem utriusque narrationis antiquitatem fuisse, sed alteram alteri ita successisse, ut scholiastae ea, quae sine ulla distinctione eidem nomini tribui viderent, quamvis diversa ad idem hominum genus referre non dubi-

---

umfassen die zehn Prytanien das ganze bürgerliche Jahr der Athener, und die ehemals angenommenen vier ἡμέραι ἄναρχοι *oder* ἀρχαιρεσίαι *sind nur des hirnlosen Ulpian lächerliche Ausgeburt*; cf. Ideler. Handb. d. Chronol. T. I, p. 290. Rem conficiunt Harpocratio s. v. πρυτανεία et Schol. Platon. Legg. p. 460 ed. Bekk. — 39) Boeckh. Urkunden d. att. Seewesens p. 169: *der sogenannte Ulpian, der häufig dasjenige, was er aus einer Stelle schliesst oder zu deren Erklärung ausgedacht hat, wie eine geschichtliche Thatsache hinstellt.* Cf. eund. über die Silberbergwerke von Laurion in Comm. Acad. Berol. 1815, p. 116: *welcher Scholiast könnte diesem Wust von Bemerkungen den Rang des Leichtsinns, der Unwissenheit und Verworrenheit ablaufen?* — 40) Cf. modo scholion de eodem argumento scriptum ad π. παραπρ. p. 760: ὅποτε ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ψήφισμα ἐγράφη, ἐπεψήφιζον αὐτὸ οἱ πρόεδροι πρότερον, εἶτα τῷ δήμῳ ἀνεγνώσαντο· ἐπιψηφίζειν δέ ἐστι τὸ ἐπί τινι ψῆφον φέρειν ἢ ὑποβάλλειν ὥςτε κυρῶσαι τὸν δῆμον, praesertim si comparetur cum alio p. 758: ἐπιψηφίζειν ὅ ἐστι κυροῦν! Laudat quidem etiam antiquiores auctores, ut Aspasium Timarch. p. 735 ipsumque Didymum Ctesiph. p. 766; at hunc quoque antiquitatis Atticae non prorsus peritum fuisse ostendit ipsum scholion: ἐπὶ διετὲς ἡβῆσαι Δίδυμος λέγει τοὺς ἑκκαίδεκα ἔτη γενομένους: cf. Lehrbuch cit. §. 123, not. 3.

tarent. Nam quum eos Proëdros, qui ex Prytanum numero prodiissent, totam quoque administrationem, quae his competeret, per vices suscepisse crediderint, idque et Demosthenis et Aeschinis scholiasta prae se ferant, longe alia scholii initium narrat: *πρόεδροι ἐλέγοντο οἱ δέκα ἄνδρες, οἱ καθ᾽ ἑκάστην πρυτανείαν τὰ τῆς ἐκκλησίας διοικοῦντες, οὕτω δὲ ἐκαλοῦντο, ὅτι τῶν ἄλλων προήδρευον*, quibus et negotia eorum, ut Proëdrorum non-contribulium, ad conciones restringuntur, et ipse Harpocrationis error, qui hos non singulis concionibus, sed singulis Prytaniis constitutos esse ait, ita repetitur, ut nihilo tamen magis in contribules cadat, quos non denos sed quinquies denos *κατὰ πρυτανείαν* fuisse necessarium sit. Neque hujus solius eam confusionem esse Etymologici Magni locus ostendit, quem valde miramur Schömannum ad testificandam Proëdrorum contribulium auctoritatem adhibere potuisse, quum fere totus cum iis grammaticis concinat, quos Proëdros Prytanibus opponere potius quam ex his repetere vidimus, p. 364: *ἐπιστάται δύο ἦσαν Ἀθήνησιν, ὧν ὁ μὲν ἐκ πρυτάνεων ἐκληροῦτο, ὁ δὲ ἐκ προέδρων, φυλάσσει δὲ τοῦ ἱεροῦ τὰς κλεῖς, ἐν ᾧ τὰ δημόσια χρήματα, ἔτι μὴν καὶ τὴν δημοσφραγῖδα κ. τ. λ.* et sub finem demum haec adjiciat: *ὅτι τῶν φ οἱ μὲν ν πρυτάνεις, οἱ δὲ δέκα πρόεδροι, ὁ δὲ εἷς ἐπιστάτης*, quae si ad Proëdros contribules referuntur, iis, quae ipse modo Etymologus de Proëdrorum Epistata a principe Prytanum diverso dixit, planissime repugnant, sin eosdem utroque loco Proëdros intelligit, hi non sunt contribules, quia alterum Epistatam ex non-contribulibus eligi Aristotelis testimonio, quod supra posuimus, satis constat. Sed etiamsi posteriori loco contribules dicat, nihil aliud probabit, nisi quod jam ex illis scholiastis novimus, imae antiquitatis tempore exstitisse qui Prytanes per quinas decurias dividerent; has ipsas decurias unquam fuisse illis testibus eo minus credemus, quia et secum ipsi pugnant neque obscura est via, qua Proëdros non-contribules, quos solos antiquiores grammaticos nosse vidimus, in contribules transiisse probabile sit. Nam quod quis hoc certe inter utrosque discrimen grammaticos advertere debuisse arguat, quod contribules decem, non-contribules, quippe ex reliquis tribubus praeter *τὴν πρυτανεύουσαν* capti, novem tantum fuerint, posteriori quoque generi nonnullos ***decem*** tribuisse certissima documenta ostendunt [41]); quod etsi mero errore factum est, attamen haud scimus an is

41) Cf. Bekk. Anecdd. p. 244: *ἐπιστάτης ἄρχων ἐπὶ τῆς βουλῆς κληρωτὸς, ὁ ἐφεστὼς τοῖς ὑπὸ πάντων βουλευτῶν πραττομένοις· εἰσὶ δὲ δύο, εἷς μὲν ἐκ τῶν πρυτάνεων κληρούμενος, ἕτερος δὲ ἐκ τῶν δέκα προέδρων*: quos ***non-contribules*** intelligendos esse et aliorum locorum ceteroquin geminorum comparatio, quos sup. not. 7—12 laudavimus, et illud docet, quod sic in opposito *ἐκ πάντων πρυτάνεων* dicendum fuerat. Sed duplicem Epistatam contribulem post Dodwellum nemo omnino statuere sustinuit; confusionis autem praeter Schol. Aristoph. Pac. v. 887: *τῆς γὰρ βουλῆς ἐπρυτάνευον δέκα, οἱ δέ φασιν ὀκτὼ*, ubi pro *ὀκτὼ* manifesto legendum est *πεντήκοντα* (*N* pro *H*), insignissimum exemplum exstat in Schol. August. ad Demosth. Androt. p. 594 ed. Reisk.: *ἐπιστάτης δὲ λέγεται εἷς τῶν ν προέδρων· ἀφ᾽ ἑκάστης δὲ φυλῆς τῶν ι προεβάλλοντο ν ἄνδρες, καὶ ἐγίνοντο ὁμοῦ οἱ πάντες φ, εἶτα ἐκ τούτων τῶν φ ἐπληροῦτο ἡ βουλὴ τῶν φ. Οἱ αὐτοὶ δὲ καὶ πρυτάνεις ἐγίνοντο, ἀεὶ τῶν ν ἄνδρων τῶν ἀφ᾽ ἑκάστης φυλῆς κλήρῳ κατὰ διαδοχὴν διοικούντων καθ᾽ ἕκαστον μῆνα, καὶ ἐλέγοντο οἱ πρυτάνεις κύριοι αὐτοὶ οἱ ν ἐν ἐκείνῳ τῇ μηνὶ, ἐν ᾧ ἐπρυτάνευον καὶ διῴκουν τὰ τῆς πόλεως. Ἀπὸ δὲ ν πάλιν ὁμοίως προεβάλλετο καὶ ἐκαλεῖτο πρόεδρος, ὡς εἶναι ἐκ τῶν δέκα φυλῶν δέκα προέδρους· τούτων δὲ τῶν προέδρων εἷς ἕκαστος αὐτῶν κατὰ διαδοχὴν καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἐγίνετο ἐπιστάτης!*

ipse error, conjunctus cum altero illo, quo pro eo, quod apud alios recte legitur *πρόεδροι ἐκαλοῦντο κληρούμενοι ὑπὸ τῶν πρυτάνεων καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν*, apud Harpocrationem aliosque legimus *ἐκληροῦντο τῶν πρυτάνεων καθ' ἑκάστην πρυτανείαν* [42]), posteriores in eam fraudem induxerit, ut decem Proëdros, qui singulis Prytaniis ex Prytanibus sorte ducerentur, ad tales decurias referrent, quales supra ex Demosthenis Aeschinisque scholiastis descripsimus. Accedebant deinde fortasse etiam oratorum loci, quos etiam recentiores in hanc sententiam interpretatos esse videmus, neque incredibile est ipsam Midianam non exiguam hujus erroris culpam sustinuisse; quamquam scholion ad nostrum locum tam ambiguum est, ut ne errasse quidem scholiastam clare ostendat [43]); sed haec ut ut sint, errorem esse vel inde patet, quod ipsi recentiores, qui illis testibus utuntur, longe aliud negotium Proëdris contribulibus tribuere coacti sunt, ac quod hos apud scholiastas gerere videmus. Hos enim si audieritis, Proëdrorum constituendorum ea causa fuit, quia Prytanes numero suo impedirentur, quo minus simul omnes rem publicam regerent, atque ita etiam negotium illorum describunt, ut per vices Prytanum negotia gesserint; id autem falsum esse, doctos antiquarios fugere non poterat, qui eodem tempore cum Proëdris etiam Prytanes suis muneribus fungentes viderent [44]), ideoque aut eo confugerunt, ut decurias illas solorum Epistatarum sortiendorum causa constitutas dicerent, qui cur ex integris quinquagenis duci nequiverint, non apparet, aut Proëdris contribulibus idem praesidendi munus darent, quod certis grammaticorum testimoniis Epistatis tantum aut Proëdris non-contribulibus tribuitur; quibus omnibus comprehensis eam Proëdrorum contribulium condicionem esse videtis, ut nec ipsi qui eos tuentur sibi constent, testiumque, qui soli eos norunt, ea ignorantia exstet, ut profecto mirum sit, si hac sola de re plura quam doctissimi optimae aetatis grammatici cognorint.

At enim, inquit Schömannus de Comit. p. 87, postquam ipse fassus est plerosque grammaticos, quum Proëdros commemorent, novem illos non-contribules designare eosque Prytanibus opponere, *at enim non isti nobis in tali re sequendi sunt, caeci plerumque duces, sed ipsi illi veteres consulendi, qui florentis Atticae reipublicae temporibus vixerunt, et quae ipsi viderant, quibus intererant, ea perscripserunt memoriaeque tradiderunt.*

---

42) Neque enim recentiorum librariorum hunc errorem esse, sed aut Harpocrationis ipsius aut proximae post hunc aetatis, inde colligimus, quod idem et apud Photium p. 452 et Suidam T. II, P. 2, p. 480 apparet, nec nisi paulo aliter Schol. Bavar. ad Demosth. Timocr. p. 749: *ἐκλήρουν τὴν τῶν πρυτάνεων κ. τ. λ.*, quod etsi vera lectio, quam jam Valesius conjectura assecutus est, facile ex Bekk. Anecdd. p. 290 et Photio p. 451 repeti potest, omnem tamen corrigendi conatum temerarium censemus, nedum eos sequamur, qui integra sententia supplenda duplicium Proëdrorum mentionem, quam nusquam exstare diximus, Harpocrationi obtrudere voluerunt; cf. Schöm. de Comit. p. 86 F. — 43) Haec ille: *πρόεδροι ἐκαλοῦντο οἱ πεμπόμενοι ἐν τῇ βουλῇ παρὰ τῆς πρυτανευούσης φυλῆς, οὗτοι δὲ πάλιν ἐπέμποντο παρὰ τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον*: quae adeo inepta sunt, ut miremur Schömannum Antiqu. p. 217 quidquam iis tribuere potuisse, neque adeo comprobant, quod ille vult, *contribules* fuisse, qui a tribu *πρυτανευούσῃ* mitterentur; hoc enim id quoque significare potest, quod Anonymus Bekkeri ait non-contribules a (non e) Prytanibus sorte ductos esse. — 44) Cf. Demosth. pro Cor. §. 169, Fals. Legat. §. 190, adv. Timocr. §. 22, adv. Everg. et Mnesib. §. 42, Aeschin. adv. Ctesiph. §. 4 etc.

Audimus, accipimusque condicionem, quamquam piaculum committere nobis videtur, qui Aristotelem, quem plerosque illos grammaticos auctorem habere ipse Schömannus p. 84 concessit, caecum ducem appellet; sed quoniam is quoque errare potuit, jam etiam aequales scriptores excutiamus, ut, quum hi quoque non magis quam grammatici duo Proëdrorum genera distinguant, singulis locis experiamur, utrum ii, quos simpliciter *προέδρους* appellant, contribules an non-contribules habendi sint. Aequales tamen quum dicimus, unius Demosthenis aetatem spectamus, de qua sola nunc controversiam esse diximus; ante Euclidis enim archontatum Prytanes certe contribules comitiis praefuisse non magis negamus quam ipse Schömannus cum Boeckhio temporibus Olymp. CXII posterioribus Proëdros non-contribules abstulit; quod si nec priorem illam aetatem intactam relinquimus, ideo tantum facimus, quod non de praesidibus contribulibus universe, sed de denis Proëdris agitur, quos Schömannus jam tum nova partitione e Prytanibus captos septenis diebus praefuisse vult, licet hujus sententiae ne ipse quidem aequales testes dederit. Unus est, cujus aliqua auctoritas constet, sed multis saeculis a temporibus rei gestae remotus, quapropter nec Schömannus eo uti voluisse videtur, Plutarchus, qui in Vita Aristidis c. 3 de concione Attica agens: *μέλλοντος*, inquit, *τοῦ προέδρου τὸν δῆμον ἐπερωτᾷν*: at hunc facile apparet *προέδρου* vocabulo aut ex posterioris aetatis consuetudine aut ex universa ejus vocabuli significatione pro praeside uti potuisse, ut de usu, qui ante Euclidem fuerit, nihil inde colligamus; eademque causa est Axiochi dialogi Pseudoplatonici, quem post Luzacium Schömannus adhibet, nos tamen cur neque aequalem neque ulla auctoritate praeditum habere possimus, in manifesta spurii illius fetus perfidia atque ignorantia [45]) duobus verbis declarari sufficit. Nam quum nec Plato nec Xenophon, qui identidem constantiam Socratis in judicio de Strategis Atheniensium Ol. XCIII. 3 habito describunt (cf. sup. not. 20), concionis illius rectores alio vocabulo praeterquam Prytanum aut Epistatae appellent, personatus ille philosophus §. 12: *οἱ δὲ περὶ Θηραμένην καὶ Καλλίξενον*, inquit, *τῇ ὑστεραίᾳ προέδρους ἐγκαθέτους ὑφέντες κατεχειροτόνησαν τῶν ἀνδρῶν ἄκριτον θάνατον*, ubi ne eo quidem confugiendum videtur, quod ipse Schömannus Antiqu. p. 221 liberum reliquit, ut etiam non-contribules intelligi posse causemur — nam nec hos tum fuisse persuasum nobis est — sed ineptus declamator haec eodem arbitrio posuit, quo paulo post triginta hominum millia in ea concione adfuisse mentitur, quantus civium numerus vix florentissimis temporibus Athenis fuit [46]).

---

45) Axiochum non modo non Platonis sed ne aequalis quidem scriptoris opus esse abunde demonstratum est in Gesch. u. System d. platon. Philos. T. I, p. 417 sq. Accedit etiam Forchhammeri judicium in Kieler philol. Studien p. 294: *es wird sich offenbaren, dass die topographische Unkunde in diesem Dialog ein Grund mehr ist, ihn einem späten Fälscher, der vielleicht Athen nie gesehen hatte, zuzuschreiben.* — 46) Boeckh. Staatsh. P. I, p. 36: *der Verfasser des Axiochos wird eben auch keine Seelenlisten eingesehen haben, welche nach der grossen Niederlage in Sicilien und einem mit abwechselndem Glücke so lange geführten Kriege wahrscheinlich eine ganz andere Zahl würden gegeben haben;* cf. et Clinton. Fast. T. II, p. 388. Multo etiam clarior fraus foret, si verum esset, quod multi perhibent, illius judicii tempore ne democratiam quidem restitutam fuisse; cf. Lehrbuch cit. §. 167, not. 13; id tamen cur non probabile videatur, dictum

Accedit ut ne ipsa quidem narratio de Proëdris postridie subornatis historica fide nitatur, quae si Xenophonti nota fuisset, in ea prolixitate, qua totius illius judicii formam descripsit, tantam fraudem commemorare Socratis familiaris non omisisset; hunc vero si sequimur, duae tantum in illo judicio conciones habitae sunt, quarum posteriori Socrates praefuit, hujusque constantia in ea tantum re apparuit, quod insanae populi festinationi restitit, qui ne oratoribus quidem, qui contradicerent, auditis statim ex Senatus sententia de cunctis Strategis in suffragia ire vellet; qua resistentia quum hoc saltem effecisset, ut Euryptolemus Senatus consultum (*προβούλευμα*) dissuadere posset, hoc quoque conatu per adversariorum calumnias irrito facto Senatusque consulto per legitimam populi suffragationem sancito nec Socrates, ut videtur, impedire poterat, quo minus eodem die capitalis sententia ferretur [47]), quodque Axiochi scriptor de concione postridie repetita ait, ex eorum demum studio fictum est, qui illum tanto facinori ne adfuisse quidem vellent [48]). Talis igitur testis quum nulla fides esse possit, hoc certe pro explorato habemus, ante Euclidis archontatum Proëdrorum mentionem omnino nullam, nedum contribulium exstare; jamque ad eam aetatem revertimur, qua Proëdros quidam memorari certum est, sed ut in unoquoque loco quaeratur, quod superius posuimus, utrum contribules an non-contribules habendi sint. Hic autem ipsum Schömannum nobis concessurum arbitramur, si missis grammaticis, quos ipse caecos duces appellavit, id solum quaeramus, utrius generis probabilius sit esse, qui simpliciter *πρόεδροι* appellantur, ceteris paribus non-contribules vel ob eam causam praeferri debere, quia hos fuisse ex titulis et decretis posterioris aetatis liquido constet, de contribulibus autem ea ipsa controversia sit, num unquam fuerint; quae si aequa petitio est, probationem ei incumbere videtis, qui contribules fuisse affirmat, cujus si argumenta aut convellere aut labefactare contigerit, ea quoque exempla, quorum ambigua natura est, sua sponte ad alterum genus transibunt. Quamquam alterum quoque argumentationis genus esse potest, quo et ipso Schömannus usus est, ut eadem negotia, quibus Macedonica aetate Proëdri non-contribules funguntur, etiam Demosthenis tempore penes Prytanes fuisse ostenderet, unde jure suo collegit, Proëdros quoque, qui eodem tempore memorantur, ex horum numero, hoc est contribules fuisse: duplici igitur refutatione opus erit, ut et Prytanum Proëdrorumque tempora atque officia recte discernamus, et eorum locorum auctoritatem infringamus, ubi aut ille aut Luzacius aut adeo Corsi-

---

est in Jahrbb. f. wissensch. Kritik 1842, T. I, p. 142; quamquam vel sic certum est, triginta millium mercedi aerarium Atticum post proelium apud Arginussas non suffecisse. — 47) Xenophontis verba haec sunt Hellen. I. 7. 38: *τούτων δὲ χειροτονουμένων τὸ μὲν πρῶτον ἔκρινον τὴν Εὐρυπτολέμου· ὑπομοσαμένου δὲ Μενεκλέους, καὶ πάλιν διαχειροτονίας γενομένης ἔκριναν τὴν τῆς βουλῆς, καὶ μετὰ ταῦτα κατεψηφίσαντο τῶν ναυμαχησάντων στρατηγῶν*: unde sana interpretatio nunquam comperendinationem eruet. Quae tamen si vel maxime cum *ὑπωμοσίᾳ* conjuncta fuit, ut placet Luzacio p. 118 et Hinrichsio de Theramene etc. p. 16, certe non ***postridie*** instaurari concio poterat, quia tum primum *παρανόμων γραφὴ* apud Heliastas dijudicanda erat; cf. Schömann. de Comit. p. 161, qui quod nihilominus postridianam concionem agnoscit, soli Axiocho dedit, de cujus ipsius fide ambigitur, *παρανόμων* judicium ex Xenophontis verbis non sequi concessit. — 48) Hinc etiam ***subornatos Proëdros*** intrusit, quia intellexit Socratem, quamvis uno tantum die Epistata esset, tamen inter ceteros Prytanes etiam postridianae concioni adfuturum fuisse.

nius, cujus inconstantia in hoc argumento recte a Luzacio reprehensa est, Proëdros contribules sibi invenire visi sunt.

Ac primum quidem Midianae loco, quo solo jam effici Schömannus censuit, quod contendit de Comit. p. 89 F, *res de quibus tractandum erat in comitiis populo proponere, Senatus consultum recitare seu potius recitandum curare, oratoribusque dicendi potestatem facere, quae omnia uno verbo χρηματίζειν dicuntur, haec igitur Proëdrorum contribulium fuisse, qui e Prytanibus erant*, satis intelligitis non eam vim inesse, ut hanc sententiam amplecti cogat; ubi quamvis orator Proëdros eodem sensu nominet, quo in lege Prytanes memorantur, tamen nec quidquam habet, unde contribules illos esse sequatur, nec si tales aliunde non constiterint, minus facilis explicatio erit, quam superius proposuimus, ut quae antea Prytanum fuerint, per temporum vicissitudines ad Proëdros, quales aliunde novimus, hoc est non-contribules transierint; quo facto etiam magis apparet quo modo orator verba legis non tantum potuerit, sed etiam variare coactus fuerit. Eadem vero ratione etiam alter ille expediri potest, quem idem Antiqu. p. 222 addidit, adv. Neaeram §. 90: *τοὺς δὲ πρυτάνεις κελεύει τιθέναι τοὺς καδίσκους ὁ νόμος καὶ τὴν ψῆφον διδόναι προσιόντι τῷ δήμῳ πρὶν τοὺς ξένους εἰσιέναι καὶ τὰ γέῤῥα ἀναιρεῖν*, unde neutiquam sequitur, quod illi videtur, etiam Olymp. CIX, qua ea oratio scripta est, Prytanes populo suffragia dedisse, sed in lege ita scriptum fuisse, quam si antiquo tempore ante Euclidis archontatum latam esse credibile est, non mirabimur Prytanibus id tribui, quod, si orator non ipsis legis verbis uti, sed haec, ut in Midiana factum est, ad sui temporis captum interpretari voluisset, ex nostra sententia itidem atque illic Proëdris non-contribulibus dedisset. Tertio denique testimonio, quod est pro Corona §. 169, quantumvis nuper etiam Droysenius tribuerit, ut noncontribulium potestatem infra pugnam Chaeronensem deprimeret [49]), ipse tamen Schömannus vix amplius confidere videtur, si quidem nullum ei locum in Antiquitatum libro dedit; cujus quum omnis existimatio e Prytanum muneribus recte intellectis pendeat, haec ipsa Schömannum multo clarius distinxisse vel ea docent, quae ibidem p. 221 de ipsa Midianae lege longe secus atque antea disputat: *quanquam fieri potest, ut verbum χρηματίζειν ne pertineat quidem ad τοὺς πρυτάνεις, sed omisso subjecto positum sit, quippe quod a quolibet facile subintelligi posset; et Demosthenes ipse paullo infra dicit: ἐπειδὰν χρηματίσωσιν οἱ πρόεδροι.* Quippe, ut et ipsi ad hanc revertamur, nec nostra sententia ea est, ut quidquid lex Prytanibus injungit, Demosthenis aetate Proëdris demus, sed quae primo loco ponuntur, *ποιεῖν τὴν ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου μετὰ τὰ Πάνδια*, omni tempore Prytanum fuerunt, quos et Senatum et populum coëgisse iidem grammatici docent, qui regimen concionum Proëdris non-contribulibus vindicant; congregato demum populo hi sorte ducuntur; ideoque recte Demosthenes tum demum *χρηματίζειν* Proëdros ait, quos si Schömannus concederet non-contribules fuisse, nec ipsi repugnaremus quo minus in lege quoque subintelligerentur, modo hujus aetate omnino Proëdros fuisse constaret, nec multo probabilius ad antiquiorem aetatem referretur, quam solos Prytanes nosse superius demonstra-

---

49) Zeitschr. f. d. Alterth. 1839, p. 806.

vimus. Sed de Midianae orationis Proëdris, quoniam hinc tota quaestio profecta est, judicium absoluta demum disputatione fieri poterit; Ctesiphonteam autem jam nunc pro certo affirmamus nihil Prytanibus tribuere, quod non vel eo tempore tenuerint, quo ipse Schömannus concionum regimen Proëdris non-contribulibus concedit: neque enim *χρηματίζουσι*, sed nuncio de Elatea capta accepto concionem parant, Senatum convocant, postremo narrant populo, quid nunciatum sit, ipsumque nuncium in medium producunt, quae omnia praecedere necesse erat, antequam oratoribus dicendi potestas fieret populusque in suffragia mitteretur, tantumque abest ut probent, quod Schömannus inde collegit, ***ubicunque Proëdri*** *χρηματίζειν* ***dicantur, intelligendos esse contribules***, ut omnia illa, quae hoc verbo comprehenduntur, jam tum a non-contribulibus in ipsa concione sorte ductis administrari potuerint [50]. Atque hoc discrimen omnino tenendum est, ne, ubi posterius quoque Prytanes circa conciones operantes videatis, Proëdros, quorum munera ad easdem spectant, ideo cum illis confundatis eorumque ex numero ductos censeatis; neque deest exemplorum copia, ubi ea cum distinctione conjunguntur, ut utrorumque negotia sed manifesto diversa in concionibus fuisse appareat; quae exempla quod Schömanno ambigua esse et in utramque partem trahi posse videntur, ita tantum concederemus, si certis testimoniis de duobus Proëdrorum generibus constaret; sin id ipsum adhuc demonstratione indiget, ii profecto loci, ubi Proëdri simpliciter dicti Prytanibus opponuntur, vix ac ne vix quidem ita intelligi poterunt, ut illi horum pars tantum ideoque contribules fuerint. Sic Aeschines adv. Ctesiph. §. 4: *τῆς δὲ τῶν ῥητόρων ἀκοσμίας*, inquit, *οὐκέτι κρατεῖν δύνανται οὔθ' οἱ νόμοι οὔθ' οἱ πρυτάνεις οὔθ' οἱ πρόεδροι οὔθ' ἡ προεδρεύουσα φυλή, τὸ δέκατον μέρος τῆς πόλεως*, iisdemque fere verbis Demosthenes vel quisquis eam orationem scripsit, certe aequalis [51], adv. Aristog. I, §. 90: *οὐ πρύτανις, οὐ κῆρυξ, οὐκ ἐπιστάτης, οὐχ ἡ προεδρεύουσα φυλὴ τούτου κρατεῖν δύναται*, ubi quod Luzacius p. 101 ***generi speciem subjungi*** censet, eo minus ferendum est, quanto certius nunc scimus *τὴν προεδρεύουσαν φυλήν*, quam idem cum *πρυτανευούσῃ* confundens et ipsam Prytanes comprehendere ait, longe aliam vim habere [52]; sin quis haec exempla jam ex eo tempore esse objiciat, cui ipse Boeckhius C. I. p. 130 eumque nunc secutus Schömannus non-contribules concedant, in promtu est lex apud Demosth. adv. Timocr. §. 21, quam utique necessarium est antecedere Ol. CVI, qua haec oratio habita est: *ἐὰν δέ τινες τῶν νόμων τῶν κειμένων ἀποχειροτονηθῶσι, τοὺς πρυτάνεις, ἐφ' ὧν ἂν ἡ ἐπιχειροτονία γένηται, ποιεῖν περὶ τῶν ἀποχειροτονηθέντων τὴν τελευταίαν τῶν τριῶν ἐκκλησιῶν, τοὺς δὲ προέδρους, οἳ ἂν τύχωσι προεδρεύοντες ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, χρηματίζειν ἐπάναγκες πρῶτον μετὰ τὰ ἱερὰ περὶ τῶν νομοθετῶν κ. τ. λ.* moxque §. 21: *ἐὰν δ' οἱ πρυτάνεις μὴ ποιῶσι κατὰ τὰ γεγραμμένα τὴν ἐκκλησίαν ἢ οἱ πρόεδροι μὴ χρηματίσωσι, ὀφείλειν τῶν μὲν πρυτάνεων ἕκαστον χιλίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηνᾷ, τῶν δὲ προέδρων*

---

50) Prorsus ex nostra sententia Voemelius in progr. auctumn. 1842, p. 13: ***es steht nicht da, dass die Prytanen der Volksversammlung präsidirt, sondern nur berichtet hätten, was ihnen gemeldet worden; dabei konnten recht gut die Noncontribules*** *πρόεδροι* ***seyn.*** — 51) Cf. Boeckh. Staatsh. T. I, p. 37, Clinton. Fast. T. II, p. 355, Schmidt. ad Dinarch. p. 113 etc. — 52) Aeschin. adv. Timarch. §. 33; cf. Schöm. Comit. p. 88 G.

ἕκαστος ὀφειλέτω τετταράκοντα δραχμάς. Conatur quidem hanc quoque Luzacius a Corsinii argumentatione defendere, et recte defendisset, si nihil aliud Proëdros a Prytanibus diversos ostenderet, quam quod sua utrisque mulcta proponitur; — quamquam ne si contribules quidem fuerint Proëdri, ***bis mulctatos*** cum Luzacio dicemus, quia si ne concio quidem a Prytanibus cogeretur, excusationem habebant, si *χρηματίζειν* omisissent; — at enim ipsos Proëdros, de quibus ea lex agit, non in septenos dies continuos, sed pro una illa concione sorte constitutos esse, clare arguunt verba: *οἳ ἂν τύχωσι προεδρεύοντες ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ,* quibus manifesto non-contribules describuntur [53]); idque confirmat ejusdem legis enarratio apud Aeschinem adv. Ctesiph. §. 39: *τοὺς δὲ πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐπιγράψαντες νομοθέτας, τὸν δ' ἐπιστάτην τῶν προέδρων διαχειροτονίαν διδόναι τῷ δήμῳ* [54]), ubi quum nulla causa fuerit addendi genitivi *τῶν προέδρων,* nisi is Epistata a Prytanum principe diversus ideoque e Proëdris non-contribulibus captus esset, Proëdri quoque, quos in eadem causa *χρηματίζειν* lex jubet, diversi a Prytanibus non-contribules erunt. Haec autem si recte disputavimus, neque in Androtiana, quae ejusdem cum Timocratea Olympiadis CVI a. 2 habita est, *ὁ ἐπιστάτης* §. 5 et *οἱ προεδρεύοντες τῆς βουλῆς καὶ ὁ ταῦτ' ἐπιψηφίζων ἐπιστάτης* §. 9 aliter intelligi poterunt, nisi ut non-contribules significent; neque in ipsa Timocratea quod Demosthenes ait §. 157: *ἐστὶν ὅστις ἂν ἢ πρόεδρός ποτ' ἐπεψήφισεν ἢ πρύτανις τούτων τι τῶν ἐν τῷ νόμῳ γεγραμμένων,* eo convertimus quo Schömannus Antiqu. p. 222, ut ***nonnullas illa aetate in suffragio dando etiam Prytanum partes fuisse*** colligamus, sed ita potius interpretamur, ut orator, dum quoquam tempore tale quid factum esse neget, antiquiorem aetatem, quo Prytanes etiam *ἐπιψηφίσαι* diximus, cum recentiore, quo idem Proëdrorum (non-contribulium) munus erat, conjungat, eoque facto negationi suae idem pondus ex historia addat, ut in notissimo loco de Areopago adv. Aristocr. §. 66: *τοῦτο μόνον τὸ δικαστήριον οὐχὶ τύραννος, οὐκ ὀλιγαρχία, οὐ δημοκρατία τὰς φονικὰς δίκας ἀφελέσθαι τετόλμηκεν.*

Verum enim vero quamvis haec apposite ad persuadendum disputasse nobis videamur, concedimus tamen vehementer impelli ac labefactari posse, si certa exempla Proëdrorum contribulium ex ipsa Demosthenis aetate proferantur, quo facto quamvis ne sic quidem protinus in Schömanni sententiam abituri simus, a nostra tamen, qua de illo hominum genere omnino dubitavimus, desistere cogemur; neque ignoramus talia adversariis suppetere, quae nisi elevare contigerit, certe non nihil Libanium vidisse fatendum sit. Quorum gravissimum rursus in oratione adv. Timocratem exstat §. 71, ubi haec lex recitatur: *ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος πρώτης πρυτανείας δωδεκάτῃ, τῶν προέδρων ἐπεψήφισεν Ἀριστοκλῆς Μυῤῥινούσιος κ. τ. λ.,* quae si fidem habeat,

---

53) Cf. decreta plebis Salaminiae in Corp. Inscr. n. 108 et Deliacae n. 2270, ubi pariter legimus: *τοὺς λαχόντας προέδρους εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν χρηματίσαι περὶ τούτων:* quae si constat ad reipublicae Atticae similitudinem conformata esse, tempus autem illud est, cui Schömannus quoque non-contribules concedit, ex formulae similitudine etiam naturam magistratuum similem colligere licebit. — 54) De hoc loco obiter monemus, quod Funkhaenelius disputat in N. Jbb. 1842, T. XXXV, p. 405, omnino ex nostra sententia factum esse.

praesto est Proëdrus ex eadem tribu, quae tum maxime Prytaniam gerit, quia Myrrhinus Pandionidis pagus est, neque eo confugiemus, quod ipse Schömannus p. 92 suppeditat, ut aliam Nomothetarum, apud quos illa lex sancita est, aliam concionis formam fuisse causemur, sed eandem utrorumque causam cum eodem p. 258 agnoscimus. Quid igitur? dabimusne manus, an restat clypeus, quo hoc quoque telum excipiamus ejusque vi infracta ex tam manifestae cladis specie integri prodeamus? Restat vero, neque adeo procul quaerendus est; si quidem in eadem Timocratea §. 39 eadem lex legitur cetera plenior, sed Proëdri illius Myrrhinusii nomine omisso, quod si genuinum esset, profecto illic non minus quam hic locum invenisset, nunc justam interpolationis suspicionem movet, nec quod Schömannus de Comit. p. 146 omissionis potius culpam in librarium conjicit, in ea horum monumentorum condicione, quam superius descripsimus, locum habet; quae licet sine summa temeritate non omnia omnino rejici posse viderimus, tamen multo majora damna per ineptam eruditorum sedulitatem quam per scribarum negligentiam contraxisse inter omnes constat. Accedit aliud decreti exemplum paucorum annorum intervallo a superiori diremtum apud Demosthenem pro Cor. §. 75 cum hac subscriptione: *πρυτανεία φυλῆς Ἱπποθωντίδος, Ἀριστοφῶν Κολυττεὺς πρόεδρος εἶπε*, ubi Proëdri pagus Colyttus non Hippothoontidis tribus *πρυτανευούσης* sed Aegeidis est; hujus igitur si qua fides est, jam ante pugnam Chaeronensem Olymp. CIX. 4 habemus Proëdrum non-contribulem cum Senatu agentem simplicique *προέδρου* vocabulo insignitum, ut aliud ejusdem nominis genus in Senatu fuisse vix verisimile sit [55]); sin subditicium vel interpolatum censuerimus, simul etiam Timocrateae illius legis fides infringetur, quam eodem pacto corrumpi potuisse patet. Atque haec, ut ingenue fateamur, nostra quoque sententia est, qui quamvis argumenta horum monumentorum non sine diligentissimo singulorum examine damnanda censeamus, praescriptionibus tamen aut subscriptionibus eo majore jure diffidimus, quo clarius et Archontum, qui dicuntur, pseudeponymorum nomina, et temporum rationes confusae, et aliorum exemplorum, a quibus praescriptio abest, comparatio docent, has certe ab eruditis quos diximus interpolatoribus ad supplendam potius legitimae formae speciem adjectas quam genuinae vetustatis auctoritate traditas esse; nec melior, ut videtur, causa fuerit plebisciti pro Cor. §. 29, quo cum iis, quae Aeschines de Fals. legat. §. 90 de rebus eo tempore gestis narrat, comparando jam Corsinius p. 271 Proëdros contribules effecisse sibi videbatur, ejusque judicium Schömannus de Comit. p. 92 approbavit. Quamquam ibi ne eo quidem remedio ad repellendos adversarios opus erit; qui tantum abest ut a nobis nisi sublata Codd. auctoritate refutari nequeant, ut ipsi audacissima demum conjectura id plebiscitum in eam for-

---

55) Dicitur quidem *εἶπε*, non *ἐπεψήφισε*, sed hoc, si modo genuina sit subscriptio, eam explicationem habebit, ut idem tum fuerit *ὁ ἐπιψηφίζων* et *ὁ εἰπὼν*, quumque prioris significatio jam in *προέδρου* titulo inesset, solita formula in brevius contracta sit. Nam quum nullo argumento constet, quod Biagius vult l. c. 166, solis Proëdris decreta scribere in Senatu licuisse, alia praeterea causa esse debebat, cur muneris nomen adscriberetur; quas autem Schömannus de Comit. p. 95 et Spengelius l. c. p. 394 de tali causa conjecturas protulerunt (***vielleicht hatte der Proëdrus non-contribulis über solche Sachen das Referat!***), nostrae simplicitatem aequare non putamus.

mam redegerint, qua illorum sententiae favere potest. Nam quum Aeschines narret Demosthenem Elaphebolione mense Proëdrum in concione fuisse, plebisciti autem haec praescriptio sit: *ἐπὶ ἄρχοντος Μνησιφίλου Ἑκατομβαιῶνος ἕνῃ καὶ νέᾳ φυλῆς πρυτανευούσης Πανδιονίδος*, Corsinius primum substituit *Ἐλαφηβολιῶνος ἐννάτῃ φθίνοντος*, eoque facto conclusit eodem mense, quo Demosthenes Proëdrus fuerit, ipsius tribum Pandionidem Prytaniam gessisse, quum ipsa codicum lectio rem in alium annum rejiciat, quo ne Senatorem quidem fuisse Demosthenem sciamus; neu quis Corsinii correctionem ipsa rerum gestarum serie necessariam fieri contendat, ne id quidem certum est, num illud decretum, etiam si vel maxime genuinum sit, ad easdem res pertineat, de quibus Aeschines loquitur. Boeckhius certe [56]), cui Voemelius adstipulatur [57]), quamvis ipsum decretum tueatur, tamen alieno loco insertum esse neque ad Olymp. CVIII. 2 sed ad CX. 2 pertinere argumentis non spernendis contendit; quae quum ita sint, ejus monumenti, cujus nec auctoritas, nec tempora, nec lectio constent, ad tantam quaestionem dirimendam nullus profecto fructus esse poterit. Quod autem etiam missa illius plebisciti auctoritate Demosthenem Proëdrum contribulem jam inde prodire volunt, quod eum duabus continuis concionibus praesedisse ex Aeschine appareat [58]), ejus vero refugii omnium postremi robur omnino non agnoscimus. Rem quidem facile concedimus, de qua dubitari non patitur Aeschines secum ipse comparatus, qui quum de Falsa legat. §. 90 Demosthenem narrat *ἐν τῷ δήμῳ προεδρεῦσαι τούτου τοῦ μηνὸς* (*Ἐλαφηβολιῶνος*) *ἑβδόμῃ φθίνοντος* [59]), in orat. adv. Ctesiph. §. 74 ejusdem mensis *ἕκτῃ* scil. *φθίνοντος* eundem *προεδρεύοντα ἐπιψηφίσαι* ait; inde tamen quod illi Prytanem sive Proëdrum contribulem fuisse colligunt, quia ita tantum duorum dierum continuorum concionibus praeesse potuerit, et ipso Proëdrorum instituto, quale descripsimus, et claris oratoris verbis refutatur. Primum enim vel illud dubitationem injicere debebat, quod Aeschines F. L. §. 82 de priore concione ait: *ἐκκλησία γίνεται, ἐν ᾗ Δημοσθένης ὁ νυνὶ κατηγορῶν ἐμοῦ λαγχάνει προεδρεύειν*, quae si cum iis comparaveritis, quae supra not. 53 posuimus, vel sic longe probabilius fiet oratorem non in septem continuos dies, sed ut non-contribulem in singularem illius diei concionem Proëdrum constitutum esse; quod autem idem etiam postridianam concionem regit, nonne facillime fieri poterat, ut iterum sorte duceretur? sin quem talis sortis casus mirum habeat, ad ipsum Aeschinem redeat, qui adv. Ctesiph. §. 73: *εἰς δὲ τὴν ἐκκλησίαν*, inquit, *τὴν τῇ ἕκτῃ λέγω, καθεζόμενος βουλευτὴς ὢν ἐκ παρασκευῆς, ἔκδοτον Κερσοβλέπτην μετὰ Φιλοκράτους ἐποίησε*, unde intelligitis, praeter sortem etiam aliquid fraudis vel artificii accedere potuisse, quo Demosthenis amici effecerint, ut ejus quoque ut superioris concionis regimen penes hunc esset [60]), idque etiam commodiorem explicationem habebit, ubi

---

56) Arch. pseudepon. p. 148. — 57) Progr. 1841, p. 10; 1843, p. 9. — 58) Schömann. Comit. p. 93; Droysen. l. c. p. 806; Winiewski Comm. hist. et chronol. in Demosth. pro Cor. p. 318. — 59) Tironum causa monemus, genitivos *τούτου τοῦ μηνὸς* pendere ab *ἑβδόμῃ*, non temporales esse, quasi toto mense *προεδρεῦσαι* dicatur. — 60) Droysenius quidem *ἐκ παρασκευῆς* ad *βουλευτὴς ὢν* refert, neque injuria, si quidem paulo ante §. 62 Demosthenes dicitur *εἰςελθεῖν βουλευτὴς εἰς τὸ βουλευτήριον, οὔτε λαχὼν οὔτε ἐπιλαχὼν, ἀλλ᾽ ἐκ παρασκευῆς πριάμενος, ἵν᾽ εἰς ὑποδοχὴν ἅπαντα καὶ λέγοι καὶ πράττοι Φιλοκράτει*: at qui Philocra-

reputaverimus, in tali sortitione non omnium, qui sortiendi jus haberent, sed eorum tantum, qui adessent et nomina sua professi essent, rationem haberi solitam esse [61]. Denique ne posse quidem pro Proëdro contribuli Demosthenem haberi ejusdem Aeschinis narratio clarissime demonstrat, quippe qui illum utroque die *ἐπιψηφίσαι* tradat; cf. F. L. §. 84: *ἀναστὰς ἐκ τῶν προέδρων Δημοσθένης οὐκ ἔφη τὸ ψήφισμα ἐπιψηφιεῖν*, et Ctesiph. §. 74: *ὁ δ' ἐπιψηφίσας Δημοσθένης*: quod quum in Prytanum Epistatam non cadere unanimis testium consensus doceat [62], necessario ad alterum Epistatam, quem ex non-contribulibus captum esse vidimus, redeundum est, eoque facto pro ipsa nostra sententia novum idque insignissimum testimonium lucramur, jam Ol. CVIII. 2 Proëdrum non-contribulem populum in suffragia misisse. Nam quod adversarii eo confugiunt, ut Demosthenem priore die *προεδρεῦσαι* tantum, altero demum verum Epistatam fuisse arguant [63], Aeschinis verba misere detorquent, neque illud nos movet, quod hic addit: *βοώντων δὲ ὑμῶν καὶ τοὺς προέδρους ἐπὶ τὸ βῆμα καλούντων οὕτως ἄκοντος αὐτοῦ τὸ ψήφισμα ἐπεψηφίσθη*: eum enim, qui neget se suffragia daturum, non unum tantum ex praesidibus, sed eorum principem habendum esse Socratis exemplum luculenter docet [64], nec si vel tum fieri poterat, quod superius demonstravimus, ut in eadem concione decerneretur, quod Epistata nollet, in Proëdris non-contribulibus hoc offensionem habebit, quos ipsum *συμπροέδρων* vocabulum Epistatae jus multo magis aequasse ostendit, ut recusante illo jam ipsis *ἐπιψηφίζειν* liceret.

His igitur omnibus conjunctis vel nunc non nimis audacem fore arbitramur, si quis Proëdros, qui ubique simpliciter commemorantur, eosdem ubique non-contribules existimet, utque duae plebiscitorum formulae sunt, ita concionum quoque duplex tantum regimen temporibus distinctum fuisse statuat, quorum prius sine ullo quorumcunque Proëdrorum interventu solos Prytanes, alterum post conciones a Prytanibus convocatas Proëdros non-contribules habuerit; neque unus ille legis Timocrateae locus, quem claris verbis huic sententiae obstare vidimus, nimis aspere tractabitur, si in tanta contrarii generis copia, quantam et inscriptiones et ipsorum oratorum testimonia praebent, unicum Proëdri contribulis exemplum ex corruptela vel interpolatione

---

tis causa fraudem fecerat, ut in Senatum veniret, eo quoque die, quo illius causa agebatur, artificio uti poterat, ut concionis regimen acciperet. Nec sine consilio hoc iterasse Aeschinem arbitramur, sed ut *ἐκ τοῦ κοινοῦ* simul ad *καθεζόμενος* pertineret, quocum itidem jungitur §. 3: *καὶ ταῦθ' ἕτεροί τινες τὰ ψηφίσματα ἐπιψηφίζουσιν οὐκ ἐκ τοῦ δικαιοτάτου τρόπου λαχόντες προεδρεύειν, ἀλλ' ἐκ παρασκευῆς καθεζόμενοι*: quae si ipse Boeckhius C. I. p. 130 ad non-contribules spectare intellexit, mirum si Demosthenes, de quo idem Ol. CVIII. 2 praedicatur, contribulis fuerit. *Προέδρους ἐγκαθέτους* etiam novit Axiochi scriptor, quos cum nostro loco etiam Luzacius p. 122 apte comparavit; modo ne ad Socratis sed ad posteriorem non-contribulium aetatem referantur, quae in singularum concionum sortitione etiam majorem fraudis occasionem praebebat. — 61) Cf. Lehrbuch cit. §. 149, not. 4. — 62) Suidas: *τῶν πρυτάνεων εἷς ὁ λαχὼν ἐπιστάτης ἐλέγετο, δὶς δὲ τὸν αὐτὸν ἐπιστατῆσαι οὐκ ἐξῆν*: cf. Pollux VIII. 96, Eustath. ad Odyss. XVII. 455, ipsumque Argum. Demosth. Androt. II, §. 13. — 63) Winiewski l. c. p. 101, qui omnino Aeschinem quam se erroris arguere maluit. — 64) Socratem tum non solum *πρυτανεῦσαι*, verum etiam *ἐπιστατῆσαι* clare docet Xenoph. Mem. I. 1. 18; nihilominus illo invito eodem die Strategi condemnati sunt; cf. sup. not. 47.

repetatur. Ne tamen quidquam cautionis praetermisisse videamur, totam hanc quaestionem ab inscriptionum maxime auctoritate pendere fatemur, quarum etsi adhuc nulla, quantum scimus, reperta est, quae Proëdrum contribulem offerret, non tamen ii sumus qui talem inveniri posse negemus, praesertim quum inter eas ipsas, quae *πρόεδρον ἐπιψηφίζοντα* prae se ferunt, illud certe discrimen obtineat, ut antiquiores in formula *τῶν προέδρων ἐπεψήφισεν ὁ δεῖνα* subsistant, posteriores addant *καὶ οἱ συμπρόεδροι*, quibus verbis fortasse non-contribules a contribulibus distinguantur; iidem vero hoc jure nostro postulamus, ut tum certe, si quis olim titulus ex eo tempore, cui adversarii contribules assignant, non-contribules exhibeat, illi rursus misso Libanio et inepto scholiastarum grege decuriis suis discedant ipsamque Timocrateam vitio laborare fateantur. Et miro quodam casu factum est, ut in duobus titulis apud Boeckhium n. 85^{c} et 90, qui summi in hac quaestione momenti forent, tribuum demorumque vocabula ita delerentur, ut inde de illius aetatis Proëdris judicare non possimus; nec nisi hariolantes hoc addimus, eorundem nominum vestigia, si alibi persequamur, ad non-contribules potius conducere, si quidem Evangelus, quo nomine Ol. CII. 4 Proëdrum sub Erechtheidis Prytania legimus, eodem nomine alius C. I. n. 171 ad Hippothoontidem pertinet, itemque Glaucetas in testimonio apud Demosth. adv. Neaer. §. 40 Cephisiensis ex Erechtheide est, quae tribus in lacunam n. 90, ubi hoc nomine Proëdrum habemus, substitui non potest. Sed haec quam infirma sint, nos ipsos non fugit; hoc saltem post omnia quae disputavimus firmiter tenere nobis videmur, nec duo Proëdrorum genera ullo tempore simul exstitisse, nec si vel maxime contribules fuerint, aut ante Euclidis archontatum, cui tempori solos Prytanes relinquimus, aut post Olymp. CVIII. 2 fuisse, qua ipsum Demosthenem non-contribulem modo deprehendimus; sed totum rei decursum ita informandum fore, ut quum priscis temporibus universi Prytanes quinquaginta et Senatus et populi deliberationes rexissent, post Euclidem concionum regimen denis ex his permittere satius visum sit, hisque ipsis postremo noveni non-contribules sorte ducti successerint, quos deinde etiam Senatui praefuisse inscriptio n. 124 docet. Nam etiamsi Proëdrorum institutum ab Euclidis inde archontatu repeteremus, Senatus consulta primo tempore antiquam formam retinuisse ostendit inscriptio n. 81, quam quum Euclide posteriorem esse literatura arguat, tamen praescriptio prisca est: *ἔδοξε τῇ βουλῇ· Πανδιονὶς ἐπρυτάνευεν. Εὐξίθεος ἐπεστάτει*: quae quum ita sint, Proëdros, quorum ante Olymp. CII nullum adhuc vestigium apparuit, aut omnino aliquanto post Euclidem institutos esse aut certe munus eorum initio ad conciones tantum non ad Senatum spectasse statuemus [65]. Tempus autem, quo contribules, si unquam fuerunt, in non-contribules transierint, satis arctis finibus circumscribere possumus Ol. CVI, qua et Timocratis lex lata est et Inscr. n. 90 *συμπροέδρων* mentione caret, et Ol. CVIII, qua Demosthenem ejusque

---

65) Pristinam formam per aliquantum temporis etiam post Euclidem durasse non nemini etiam Platonis Phaedrus arguere videatur, qui quum ante Ol. XCVIII scribi vix potuerit (Gesch. u. System d. platon. Philos. T. I, p. 373 sqq.), illam respicit p. 258 A: *ἔδοξέ πού φησι τῇ βουλῇ ἢ τῷ δήμῳ ἢ ἀμφοτέροις καὶ ὃς εἶπε*: nos tamen huic argumento nihil tribuimus, quia Plato aut in Socratis aetatem, cui dialogum tribuit, redire aut ea formula uti poterat, quam ex juventute sua memoriter teneret.



συμπροέδρους ita memorari vidimus, ut Prytanes fuisse non possint; neque eam aetatem a mutanda concionum forma abstinuisse φυλῆς προεδρευούσης institutio apud Aeschinem adv. Timarch. §. 33 memorata ostendit, quamquam ab altera parte negari nequit, si quid praeterea eodem tempore novatum fuerit, eandem memorandi occasionem Aeschini fuisse. Haec igitur, ut speramus, mox novis inscriptionibus repertis ad liquidum perducentur; cujuscunque tamen aetatis hae Proëdros contribules afferant, eidem non-contribules abjudicamus, nec si reliqua omnia concedere cogamur, hoc nobis Schömannus persuadebit, utrique generi simul locum fuisse, jamque eo tempore, quo aut Prytanes aut Proëdri contribules conciones rexerint, praeter hos non-contribules exstitisse, quorum illi venia aut adjumento ad quodcunque negotium eguerint. Illud tantum videtis, si Timocrateae legi fides sua constet, Midianae Proëdros, quae Ol. CVII scripta est [66], etiam contribules esse posse; hos ipsos tamen modo ita certe in Prytanum locum successisse statueritis, ut prius integri quinquaginta, posterius demum selecti ex his Proëdrorum nomine concionibus praefuerint, ne si immerito quidem contribules negarimus, ea argumentatio convelletur, qua idem discrimen ad Dionysiacae legis auctoritatem tuendam convertimus. Nec jam restat, quod addamus huic quaestioni, Commilitones, quam semel inchoatam omittere nolebamus, quin tota pertractaretur; sin nimis subtiles fuisse videamur in re, cujus magnus fructus non appareat, non nunc modo, verum in omni studiorum Vestrorum et genere et tempore ejus hominis Vos recordari jubemus, qui ut magnas opes aliorum in commoda convertere posset, ideo demum factum esse dixit, quia sibi suisque nec minimam unquam negligentiam indulsisset. Sicut enim res parvae concordia crescunt, discordia etiam maximae dilabuntur, ita nec eruditio ulla solida et firma stabit, cujus non vel minimae partes inter se concinant; quod si hae praefationes non doctrinae magis quam exempli causa scribuntur, ipsa disputandi subtilitate vel de iis nos bene mereri arbitramur, quorum studia ab his argumentis aliena sint.

P. P. Gottingae mense Augusto a. MDCCCXLIII.

---

66) De temporibus orationis adversus Midiam eadem controversia est, quae viros doctos in anno natali Demosthenis constituendo diversos agit, quia trigesimo altero oratoris anno scriptam esse constat; cf. Boeckh. in Comm. Acad. Berol. a. 1818, Clinton. Fast. Hell. T. II, p. 351, Thirlwall. in Mus. philol. Cantabrig. T. II, p. 389, Brückner. König Philipp p. 326, Westermann. in Zeitschr. f. d. Alterth. 1837, p. 298, Seebeck. ibid. 1838, p. 321; quemque in ipso hujus disputationis fine recentem nanciscimur, Böhnecke Forschungen auf dem Gebiete der attischen Redner und der Geschichte ihrer Zeit, T. I, Berol. 1843. 8; quamvis autem de anno discrepent, de Olympiade tamen fere consentiunt.